

ENCHIRIDION  
THEOLOGIAE DOGMATICAE  
SPECIALIS.

AUCTORE

D<sup>RE</sup> FRANCISCO EGGER

PRAELATO DOM. S. SANCT. DECANO ECCL. CATHEDR. AC  
SEMINARII CLERIC. RECTORE.

~~~~~  
EDITIO QUINTA.

CUM APPROBATIONE REVERENDISSIMI ORDINARIATUS BRIXINENSIS.

~~~~~  
BRIXINAE.  
TYPIS ET SUMTIBUS WEGERIANIS  
1899.

quorum primi certe sunt diaconi. — Concilium autem hanc doctrinam non de novo invenit, sed ex deposito fidei hausit. — Sane:

1. In ss. literis ea elementa traduntur, ex quibus character sacramentalis diaconatus haud difficulter colligitur. Diaconi enim ordinati leguntur per *manuum impositionem cum oratione* (Act. 6, 6), non secus ac episcopi. Eadem fere in iis requiruntur *virtutes*, ac in episcopis (ib. v. 3; I. Tim. 3, 8 sqq.). Eorum *officium* non solum est ministrare mensis, sed baptizare, praedicare et servire episcopis, quibus coniungi solent (Act. 6, 8 sq.; 8, 38 sq.; Philip. 1, 1). Merito ergo infertur, diaconos sicut in ritu ordinationis, in ministerio ecclesiastico, in virtutibus: ita etiam in gratia sacramentali episcopis sociandos esse.

2. Confirmat Traditio. Institutionem namque divinam diaconatus expresse iam asserit *Clemens Rom.*<sup>1)</sup>: «(Apostoli) praedicantes per regiones ac urbes, primitias eorum, Spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt. . . . Et quid mirum, si quibus in Christo commissum est a Deo hoc munus, praedictos constituerint?» Item *Ignatius M.*<sup>2)</sup>: «Cuncti reveantur diaconos ut mandatum Iesu Christi.» Praeterea Patres e. g. *Chrysostomus*<sup>3)</sup> et *Theodoretus*<sup>4)</sup> et antiqua euchologia ipsumque concilium *Chalcedonense*<sup>5)</sup> clare insinuant *gratiam* per ordinationem diaconis collatam. Denique expresse hunc ordinem sacramentis connumerant *Hieronymus*<sup>6)</sup>, *Leo M.*<sup>7)</sup>, *Anastasius II.*<sup>8)</sup>

3. Accedit consensus ecclesiarum orientalium cum latina, nec non argumentum confirmativum ex congruentia petitur (640, 4).

644. D. Non constat, utrum subdiaconatus et minores Ordines sint sacramenta.

Affirmabant veteres Scholastici plerique omnes<sup>9)</sup>; negant vel saltem dubitant recentiores passim. Ratio potissima pro

<sup>1)</sup> Ep. 1. ad. Cor. c. 42. et 43. — <sup>2)</sup> Ep. ad. Trall. n. 2. — <sup>3)</sup> Hom. 14. n. 3. et hom. 15. n. 1. in Act. Ap. — <sup>4)</sup> Interp. ep. 1. Tim. 3, 10: «Prius autem convenit horum (diaconorum) vitam examinari, deinde sic gratiam spiritualem consequi.» Cf. Seidl: Der Diaconat § 15. sq. Regensburg, Manz, 1884. — <sup>5)</sup> Superius allegatum n. 640. 3. — <sup>6)</sup> Adv. Vigil. initio. — <sup>7)</sup> Ep. 9. ad Diosc. — <sup>8)</sup> Ep. 1. ad Anast. Aug. cap. 7. Cf. De Augustinis, De re sacramentaria t. 2. de Ordine a. 5. thesi 5. (Romae, 1887). — <sup>9)</sup> Ita Albertus M.; s. Thomas (IV. d. 24. q. 2. a. 1);

sententia *affirmante* desumitur ex conciliis. Nam *Florentinum* (decr. pro Armen.) ait: «Sextum sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem; et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: «Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis et mortuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et sic de aliis Ordinum formis, prout in Pontificali B. late continetur. Ordinarius minister huius sacramenti est episcopus. Effectus augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister.» Ergo concilium, nullo facto discrimine inter superiores et inferiores Ordines, utrisque assignat materiam et formam, et indiscriminatim gratiam, per quam quis fiat idoneus minister, ut effectum Ordinis pronuntiat.<sup>1)</sup> — *Tridentinum* (Sess. XIII.) duo docet: α) Ordinem generatim esse sacramentum (can. 3); β) praeter sacerdotium esse in Ecclesia cath. alios Ordines maiores et *minores*. Iuxta mentem concilii ergo etiam subdiaconatus et Ordines minores rationem sacramenti participare videntur. Quae quidem mens haud parum illustratur et confirmatur ex consensu Theologorum concilii, qui teste *Theiner*<sup>2)</sup> omnes, solo excepto *Didaco de Payea*, in subdiaconatu et Ordinibus minoribus sacramenti notam agnoscebant. Neque obstat, quod concilii intentio non fuerit controversias scholasticas definire, sed Reformatorem errores retundere. Concilia quippe saepe praeter, id quod directe definire volunt.

Bonavent. (IV. d. 24. a. 2. q. 4); Duns Scotus, Canus, Bellarminus, Wirceburgenses, Billuart etc. Magister Sententiarum a nonnullis in patrum sententiae negantis allegatur, sed immerito; ut clare ostendit De Augustinis (art. 6. pg. 849 sq.), qui et ipse rationem sacramenti in Ordinibus minoribus strenue defendit. Benedictus XIV. (de syn. dioec. l. 8. c. 9), relatis auctoribus et argumentis pro utraque sententia, concludit (n. 12): «Dubii pariter et nos haeremus, nec ullam in hac difficillima controversia sententiam ferimus.» — <sup>1)</sup> Hanc fuisse mentem concilii, colligitur etiam ex doctrina s. Antonini (Sum. p. 3. tit. 14. c. 16), qui Eugenio IV. carissimus ac familiaris fuit. — <sup>2)</sup> Acta genuina Conc. Trident. II. 135—150; cf. Morgott in ephem. Literarische Rundschau a. 1888, n. 10. pg. 294.

alia doctrinae capita indirecte et per incidens insinuant. Nil mirum ergo, si quamplurimi et insignes Theologi in praesenti materia ad Florentinum et Tridentinum provocaverint, licet optime nossent, ista concilia de charactere sacramentali Ordinum minorum nil definire voluisse. — Rationes potissimae pro sententia *negante* sunt, quia  $\alpha$ ) non constat de divina institu-

**Corollarium.** Licet plures Ordines sint sacramenta, 645. nihilominus *simpliciter unum dicitur Ordinis* sacramentum; eo quod omnes ad communem effectum et finem, scilicet ad dispensandam Eucharistiam et ad regendam Ecclesiam diriguntur. «Divisio Ordinis, inquit s. Thomas<sup>1</sup>) non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius